

**A** uentio subiecti est una, & eadem, & ideo si partes subiecti  
 ue possunt demonstrari in scientia, possent etiam demonstrari  
 ipsum subiectum, quia partium subiectiuarum, & subiecti  
 est unum esse, & subiectum est prius inuentione partibus,  
 ut animal est prius homine. Vnde bene ualet, est homo, et  
 go est animal, sed non e contra. Et ideo si partes subiectiuas  
 possunt demonstrari esse, etiam & subiectum, & ex destru-  
 ctione consequens si subiecti non potest demonstrari esse,  
 ergo neq; partes, sed inuentio principiorum non est ea-  
 dem cum inuentione subiecti, & partium subiectiuarum,  
 ideo non ualet si principia in scientia demonstrantur, ergo  
 & subiectum. Sed ista ratio nulla est, nam certum est, q; sub-  
 iectum in se consideratum quo ad suum esse magis depen-  
 det a suis principiis, quam a partibus subiectiuis, quia habi-  
 tudo subiecti ad sua principia est habitudo essentialis cau-  
 sati ad causas a quibus essentialiter dependet, habitudo au-  
 te subiecti ad partes subiectiuas est habitudo ad posterius,  
 & est cause ad effectum, unde partes subiectiuas dicuntur  
 aduentiuas respectu subiecti, sicut dicimus, quod homo ac-  
 cidit animali, & uniuersaliter inferiora respectu superiorum,  
 ut dicit Aristot. in Prædicamentis. & ex consequenti ex ista  
 mirabili responsione uidetur sequi totum oppositum, uide-  
 licet, q; principia subiecti non possunt demonstrari in scien-  
 tia, sed bene partes subiectiuas, quia inuentio principiorum  
 uidetur esse inuentio principia, i saltem consequentia, & à  
 priori, quia esse principia est esse ex principiorum. Et con-  
 firmatur per Aristot. in 2. Poëte. & in c. 1. Philosophia. text.  
 com. 1. ubi dicit q; eadem uia inuestigatur si est, & quid est,  
 quando questio si est, terminatur a priori, patet enim quod  
 dum diffinitur res diffinitioe quid rei, quod diffinitur per  
 sua principia, & causas, partes enim diffinitionis sumuntur  
 à principis que sunt in re, ut dicit Cömen. in 1. de Anima  
 in com. 7. Ergo eadem est inuentio principiorum, & subie-  
 ti à priori inuestigatio. Et per consequens non est alia, &  
 alia inuentio sicut à posteriori, una est inuentio parte par-  
 tium subiectiuarum, & ipsius subiecti. Amplius, fundamen-  
 tum illius opinionis est ruinosum, q; si partes subiectiuas pos-  
 sint demonstrari, posset demonstrari subiectum esse, quia  
 unum est utriusq; esse, quia stat, quod aliqua sint eadem sub-  
 iecto, & tamen sunt ratione formali distincta, & per conse-  
 quens unum sub una ratione erit notum, & sub alia ratione  
 erit ignotum, & hoc ostenditur inquam pluribus casibus.  
 Nam certum est, q; primus motor, prima forma, & primus  
 finis sint idem subiecto, ut patet. 1. 2. Meta. com. 5. & 6. unde  
 inquiritur esse primi motoris in Philosophia, & per demö-  
 stratione inuenitur, & cognoscitur sub ratione quia primus  
 motor, sed in Philosophia naturali, nõ cognoscitur sub ra-  
 tione quia est prima forma, licet idem sit primus motor, &  
 prima forma. Amplius sit in casu notum esse aliquid sub  
 ratione generis, & tamen illud erit ignotum quo ad ratio-  
 nem speciei, nam quis ambigit quod oblati aliqua gema  
 alicui qua prius non nouerit, quod statim cognoscat illam  
 sub ratione generis, sciet enim quod est gemma aut lapis,  
 sed ignorabit utrum sit Topaciæ, aut Hyacinthi, licet in  
 hoc idem sit in genere, & specie, & ecounterlo. potest etiam  
 in aliquo casu cõtingere oppositum, uidelicet, quod aliquid  
 sit notum quatum ad rationem speciei, & sit ignotum quo  
 ad ratione generis, nam. 7. Prima philosophia. text. cõ. 28.  
 Multa sunt genera, & maxima specieb; que tamen sunt igno-  
 ta, quod ratione coniuuuntur. Nã uidemus ex Equa, & Asi-  
 no mulum generari, nõ tamen ex equa, & homine aliquid  
 generatur, quod quidem non contingit nisi quod est ex na-  
 tura rei aliquid genus proximum in quo conuenit equus  
 cum asino, in quo non cõuenit cum homine. Et ideo ratio  
 illa nulla est, si idem est esse partis subiectiuas, & subiecti, q;  
 si pars potest demonstrari in scientia, ergo & ipsum totum,  
 puta subiectum, quia stat aliquid medium esse ad demon-  
 strandum id quod est pars, quod tamen non demonstrabit  
 totum sub propria ratione propter causam assignatam. Di-  
 cam enim quod licet idem sit esse subiecti, & partium sub-  
 iectiuarum, istud tamẽ esse poterat ratione quia esse sub-  
 iecti, esse per se notum in scientia in qua illud est subiectum.

Et tamen sub ratione qua est esse partis subiectiuas erit igno-  
 tum. Et confirmatur quia de facto ita cõtingit, quia certum  
 est, q; ignis est pars subiectiuas subiecti scientia libri de Cõe-  
 lo & mundo, & tamen ignis esse demonstratur in 4. Cõcell  
 & müdi in text. com. 32. Nec ualet si dicatur ad hoc, ut qui-  
 dam dicere consueuerunt, quod ibi nõ demonstratur igne  
 esse, sed demonstratur quod locus ignis est, sursum, & igne  
 esse sursum non ignem esse, quia est species, feu pars subie-  
 ctiuas. Sed ista responsio destruit iudicium Cõmen. qui q; illa  
 est demonstratio ad speciem subiecti quod raro cõtingit  
 in scientia, ubi expresse Cõmen. concedit aliam partem  
 subiectiuam in scientia posse demonstrari demonstratione  
 signi, licet illud raro contingat. Non igitur esse idẽtitate esse  
 utriusque, uidelicet subiecti, & partis subiectiuas contingit  
 quod pars non possit demonstrari in scientia tanquam ex  
 causa per se, nam et illa que per se in sunt de omni sint nun-  
 quam nedum raro posset accidere, quod in aliqua scientia  
 possit demonstrari aliqua pars subiectiuas. Dicamus igitur  
 nos limitantes allegaram Auer. autoritatem in 2. de Ani-  
 ma. com. 27. & in 6. Meta. text. cõ. 1. quod habet ueritatem,  
 ut in pluribus, tamen quãdõq; fallit, nam sicut ea que à na-  
 tura sunt, quædam semper sunt, quædam uero sicut frequẽs-  
 ter, ex 2. Phy. cõ. 48. Similiter propositiones naturales sunt  
 in hac differetia, quia quædam sunt semper uere, & quædã  
 sunt ueræ frequenter. Nam ex eo quod res est, aut non est  
 redditur oratio uera, aut falsa. unde quando cõtingit quod  
 partes subiectiuas sunt per se note in scientia, tunc non de-  
 monstrantur, & tunc idem est iudicium in hoc de partibus,  
 & de subiecto. si autem contingat partes subiectiuas igno-  
 tas esse, & scientia illa habet medium per quod positi illas  
 demonstrare, tunc in illa scientia possunt demonstrari, sed  
 quia raro hoc cõtingit, & denominatio fit à superabundan-  
 ti, inde Auer. dixit species subiecti non posse demonstrari  
 meo iudicio. Et ne uideamur dicere ista gratis, adduco au-  
 thoritatem Cõmen. in 2. de Anima. nam posteaquam dixit  
 rat in com. 27. q; artifex non potest demonstrare subiectum,  
 neq; species subiecti, limitans dictum suum, deinde in prin-  
 cipio com. 29. inquit, quia uult ponere hic numerũ istarum  
 uirtutum secundum q; artifex ponit subiecta tua artis, non  
 uult ponere nisi illud quod est manifestum per se, & dimi-  
 si illa, que nõ sunt manifesta, donec perferretur de eis, un-  
 de patet q; multæ uirtutes, seu potentie aia sunt qui in lib.  
 de Anima demonstrantur esse, sicut esse sensus cõmunis,  
 & esse intellectus agens, & ista est ueritas. Sed tunc est alia  
 ardua difficultas in uia Auer. propter quid est, quod substa-  
 tiæ separatae sint principia subiecti Meta. quod est ens in-  
 quantum ens, & secundum Auer. in 2. Phy. in com. 22. & 26.  
 principia subiecti possunt demonstrari in scientia demon-  
 stratione signi, quare igitur in scientia Diuina substantiæ  
 abstractæ non demonstrantur. Ad hoc omnes ante me-  
 tempora quos ego uiderunt dixerunt quod hoc ideo con-  
 tingit, quia substantiæ separatae cum hoc quod sunt princi-  
 pia subiecti Meta sunt etiam partes subiectiuas, & quia par-  
 tes subiectiuas non possunt secundum Auer. demonstrari,  
 ideo dicunt quod non possunt demonstrari. Sed ista opinio  
 nullo pacto stare potest in uia eius. Nam ratio partium subie-  
 ctiuas non arguit per se inuitabiliter quod aliquid in scien-  
 tia non possit demonstrari, ut ex iam deductis apparuit.  
 Tum etiam quia data ista ratione nõ esset omnimoda con-  
 tradictio, nec esset simpliciter impossibile substantiæ abstra-  
 ctas posse demonstrari, sed solum ex parte qua sunt partes  
 subiectiuas, sed nõ ex parte qua sunt principia, cuius oppo-  
 situm sustinet Cõmen in com. ultimo primi Phy. & in cõ. 3.  
 8. Phy. & in com. 5. 1. 2. Diuino. ubi uult nullo pacto scien-  
 tiam Diuinam habere per se medium ad demonstrandum  
 esse substantiarum separatarum. Amplius ista opinio uide-  
 tur cõcedere unum impossibile, quia uult quod aliquid sit  
 pars subiectiuas, & principium respectu unius, & eiusde sub-  
 iecti quod uidetur absurdum, quia tunc idem esset princi-  
 pium sui ipsius, quod est in sine abominationis, ut colligis-  
 tur ex mente Philosophi in 2. de Anima. text. cõmen. 27. &  
 est autoritas etiam beati Augustini de primo de Tri. cap. 1. ubi

Replica.

Impugnatio.

Opinio p-  
pta.

E

Ardua dif-  
ficultas.

F

Opio alio-  
rum.

Causatio.

Cõsuetudo.

Ardua dif-  
ficultas.

Ardua dif-  
ficultas.

Ardua dif-  
ficultas.

Ardua dif-  
ficultas.